

apparatu Rex à Lugdunensibus exceptus erat, Regem rogat num dare hoc voluerit Theologis, ut Biblia à suo typographo impressa supermerentur. Rex verum esse pronuntiat, quia Theologi me hominem quo quis hæretico nocentiorum conquesti, id persuasissent. Non tamen se quod postulabat, alia cōditione dedisse quam ut articulos toties expetitos proferrēt. Pergit Castellanus, satisque multis verbis Regi indicat abeundū mihi esse, natalique solo migrandum. Theologorum ingenium tale esse ut ad extremum usque vitae persequātur, contra quos Regis aut iudicium fauorem suis mēdaciis eblan-diti essent. Respondet Rex, non propterea mihi esse migrandum: tantum cauerem nequid in futurum: simūlque bono ut essem animo iubet, pergerēmque in ornanda sua typographia pro more officium præstare. Vbi hæc renuntiata sunt, cōsistit. Interea filēt Theologi, nec suas literas euulgāt: quod mihi sanè mirū videbatur: diuulgassent autem scio, nisi de proferendis arti-culis facta in literis mentio obstitisset. Guien-curtius, ut est versipellis, hæc astutè dissimulās, collatis inter se capitibus, subornat Robertum